

Præfatio

opus in sole mare aliquod cōstituere ex quo vapores nubecularū instar circa solem, vel in ipso sole apparentes explicentur, si motus planetarū meliùs intelligātur, vbi virt^o magnetica in sole collocata fuerit, quā sidera ad se vertat, si aliqua vegetatiua, vel cōstitutiuua anima terræ necessaria sit, vt exponamus, quomodo plantæ è terra oriantur, Theologus eam nusquā repudiet, sed assumat. Quod vsque adeò verū est, vt Theologi alienis inuētis, atq; fundamētis libenter vtantur, cū id ad fidei mysteria intelligēda iuuat. Non est igitur, quod Cāpanella tantopere cōmoueat, si qui copernicoturire nolint, vt eū eo loquar; quandoquidē minimè necessarius est terræ motus, vt cœlestia phænomena explicemus.

Campanella in iustitia querimonia.

Campanella in apologia pro pluribus mundis.

Ecquis verò negat eū Dei zelū habere debere, qui de quæstione quouis modo ad religionem spectante iudicat? fatemur etiā virū illū non solū zelū Dei, sed & scientiam habere debere, alioquin enim quis Astrologiæ imperitus aduersus Mathematicos scribere poterit? quis in dubiū reuocauit scientiā rerū cœlestiū nondū perfectā esse? Christū Dominū non venisse, vt nos Astrologiā doceret? Moysen philosophicas difficultates non attigisse, sed rē prout apparet, explicauisse; philosophiā Christianis nec vllā aliā verā scientiā prohibendā esse concedimus; verū quis nobis scientias prohibuit? imo viros doctissimos Ecclesia magno sēper in pretio habuit, & ipsa scriptura laudes illorū aperit, dū affirmat eos stellarū instar in perpetuas æternitates refulsuros, qui multos ad iustitiam erudierint; sub qua iustitia faciliè comprehendere possumus, quidquid ad animæ salutē attinet. Licet ergo viris Catholicis, maximè verò Theologis, omnibus scientiis incumbere, & mirabilia Dei opera scrutari, nō solū quia per ipsa elementa mundi tanquā per publicas paginas, diuinę voluntatis significationē accipimus, vt S. Leo serm. 7 de ieiunio decimi mēsis habet, non solū quia philosophia est catechismus ad fidē, iuxta Cyril. i. cont. Iul. non solū quia mundus codex est Dei, in quo iugiter legere debemus, inquit Bern. serm. in *Audiā quid in me loquatur*, &c. sed etiā vt omnē impietate aduersus Deū sese erigētē retūdāt, & opprimāt.

Leo.

Cyrl.

Bernard.

Fateor præterea modos aliquos præscribi posse, quibus scientiæ admodū imperfectæ restaurētur, quod maximè cupio, nec vllā viā tutiorē existimo, quā si viri docti simul cōueniāt, & Academiā erigāt. Quod summi Pontificis, & Regū omniū, Catholicorū præsertim autoritate fieri operæ pretiū esset, vt omni priuilegiorū genere, & omnibus ad tantū opus necessariis fulciretur. Vtinā viri principes totius mūdi, vel saltē Europæ operi adeò nobili intendāt; enimvero si Galli, Hispani, Itali, & alij quipiā in suis regnis, & ditionibus peculiarē Academiā instituant, quæ scientias à fundamentis restaurare, vel probare velit, & eā de causā nullam experientiam, nullum laborem, nullas expensas refugiat, breui tempore Respublicæ florebunt, & plurima ad maiorem Dei gloriam excogitari, & institui poterunt. Quam faciliè fuerit centum, aut plures eximie doctrinæ viros aduocare, quorū alij rebus Theologicis, alij philosophicis, alij mathematicis, Medicinæ, & Alchymia: Iurisprudētiæ, & reliquis facultatibus alij seriò incūbant, & nihil in rebus naturalibus

Scientiæ quomodo perfici possunt.